



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv
Redivivae**

Rhay, Theodor

Neobvrgi Ad Danvbium, 1663

XXXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10835

Si apud Hypercriticos & oculatissimos (ut se credunt) Argos hæc typis exscripta Genealogia alicui minus probabitur, id ob Auctorum ipsorum Genealogicorum discrepantes opiniones profluere sibi persuadeat uelim; accedit antiquorum incuria temporum, & bellorum iniuria, quâ multa maiorum documenta perire, ex quibus candida veritas erui potuisset. Atque hæc eo à me allata sunt, ut siquid erratum sit, id Antiquitati, vel mihi condonetur. Dedi ego (studio omnique affectu seposito) quod uero similius esse duxi, & quod diu ante me censuere: *Aubertus Miræus Cathedralis Antuerpiæ*, Dominus *Christophorus Bœrgens S. Saluatoris Prælati*, R P *Ioannes Gans Soc: IESV Theologus*, *Ioannes Iacobus Chifletius* eques & Archiater Regius, plurèsq; non infimi nominis Genealogici scriptores. Ingenuè tamen profiteor nonnullas potuisse esse stirpes breuiiores; sed quo pluribus proceribus ad suæ gentis taleolas & surculos inferendum commodaretur, rumpos sæpe connectendo per variantes familiarum traduces esse circumductos; neque tamen mens fuit tenebrarum aliquid, aut noctis illo genere Commentationis, Genealogijs affundere, sed in re aliàs implexâ ac dubiâ eruditæ aliorum correctioni libens stare quod molestum non accidet, si ueri amore pro ingenio quisque suo addat vel demat, facemque tantis in tenebris orbi accendat; mihi sufficiet ostendisse modernos Europæ Proceres, generis sui nativam vim ab ipsa Richeza & alijs *Sexaginta quatuor Diuis Maioribus* hausisse. Utinam *Calites isti Seris Nepotibus*, & mihi, qui ipsi laboro, faueant.

XXVI.

Werthinæ in *Insula Rura Transrhenani flurij SS. Ludgeri Monasteriensis & Hildegemi Halberstadiensis Episcoporum Fratrum Germanorum*, qui *Saxonia, Westphalia, Bergia, Frisia* Idololatriâ fugatâ *Christianam lucem* intulere uterque fecundis pro religione sudoribus inclytus ita prospere laborauit, ut nobilissimarum istarum gentium *Christianorum primi Parentes*, & glorioso planè *Cognomento Saxonia Apostoli* audiant.

XXXI.

Claudat *Martium Martis olim cliens* uenabilis *LVDovicvs* Illustrissimis ortus Natalibus *Comitum, de Ahrr seu Aquilinarum* in primis Pius ac metuens DEI, qui opulentam hereditatem contempsit, pauperum, & calamitosorum perfugium. *Eius spectata*

virtus morumque integritas, mirè Heisterbaci eluxit, quando frugalitate vitæ, verâ patientia, religiosâ asperitate, & per insignem sui mundique contemptum, ad virtutis Fastigium ita enisus est, ut totus virtus, totus demissio haberetur. O pulchram sanè & familiarem Sanctis artem, per humilia alta petere! Sic Comitem ipse in terris abiciens, in Cælo Regem induit. Ex M. SS. Heister.

APRILIS.

Die I.

K Alendis huius terras deseruit THEODORVS à Lurecke, naturæ gratiæque opibus planè insignis; qui Canonicatu Bonnenfi relicto, totâ mente Heisterbaci humilem Cisterciensium vitam regulamque amplexus est. Tentationibus pulsatus, age anime, aiebat; sanctè pugnemus vt dulcissimo IESV Cordi vel sic iucunditatem, quam possumus, pariamus; dignus est IESVS, pro quo aspera omnia perferamus. Rarâ cibi parsimoniâ ad decrepitam usque ætatem usus: Documento mortalibus relicto, frugalitate vitæque Religiosæ asperitate non minui annos, sed augeri. Iamque *Cæli delicijs sine fastidio satur sibi DEOQUE* porro victurus. *Ex eius loci Necrologio.*

II.

IN *Frauenkirchen* apud *Riparicos*, B. GENOVEVÆ Comitis *Palatine*, quæ ex voto DEIPARÆ emisso